



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VIII. De forma ordalii celebrandi. Desideratur in Sax. & Iorn.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO CHRISTI
928. dalio culpabiles inueniantur, sint centum viginti noctibus in carcere, & cognatio earum educat eas, & emendetur regi centum viginti solidis, & occisum hominem reddit parentibus suis, & eant eis in plegium, quod super iis abstineant in æternum.

VII.

Placuit nobis ut vna moneta sit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portam. Si monetarius reus fuerit, amputetur ei manus, & ponetur sub monetæ fabri-
cam. Si inculpatio sit, & se purgare velit, eat ad ferrum calidum, & allegiet manum ad caniferam quod non falsum fecit. Si in ordalio reus fuerit, fiat ei quod supradictum est. In Cantuaria sunt octo monetarii regis, quatuor episcopi, tres abbatis: & in Roucestria tres regis, duo episcopi. In London octo, in Vvinton sex, in Levves duo, in Ha-
stingecestria unus, in Scheastbury duo, in Oxonia duo, & in aliis burgis.

VIII.

Si quis iudicium ferri vel aquæ vadauerit, accedat ante tribus noctibus ad presbyterum qui sanctificare debet eum, & pascat se pane, & sale, & aqua, & herbis, & audiat Missas ipsorum singulorum trium dierum, & offerat, & eat ad sacrofæctam communionem ipsa die qua ordalium examinari debebit: & iuret quod iure publico sit innocens illius accusationis antequam ad ordalium veniat. Et si iudicium aquæ frigidæ sit, tunc mergatur vna vlna & di-
midia in fune. Si ferrum calidum sit, tres noctes transeant antequam inquiratur, & videatur manus eius, & prosequatur omnis homo compellationem suam præ iuramento, sicut supradictum est, & sint vterque ieuni ex præcepto Dei & archiepiscopi; & non sint in alterutra parte amplius quam in alia: & hoc sit vtrobique duodecim homines. Si autem accusatus homo maiorem defensionem habeat quam duodecim hominum, sit ipsum ordalium fractum in eo, nisi recedere velint ab illo.

VIII.

De ordalio præcipimus in nomine Dei, & præcepto archiepiscopi, & omnium episcoporum meorum, ne aliquis intret ecclesiam postquam ignis infertur unde iudicium calefacere debet, præter presbyterum & eum qui ad

D iiij

iudicium iturus est. Et sint mensurati nouem pedes a staca vsque ad mercam ,ad mensuram pedum eius qui ad iudicium ire debet. Et si aquæ iudicium sit , calefaciat donec excitetur ad bullitum , & sit alfetum ferreum , vel æreum , vel plumbeum , vel de argilla , & si *anfealt tybla* sit , immergatur manus post lapidem ,vel examen vsque ad *vvyrfle* , & si triplex accusatio sit , vsque ad cubitum . Et quando iudicium paratum erit , ingrediantur ex vtraque parte duo homines , & certi sint vt ita calidum sit , sicut prædictimus , & introeant totidem ex amba parte , & consistant ex vtraque parte iudicij de longo ecclesiæ , & sint omnes ieuni , & ab vxoribus suis se continuerint ipsa nocte , & asperget presbyter aquam benedictam super eos omnes , & humilient se singuli ad aquam benedictam , & det eis omnibus osculari textum sancti euangelii , & signum sanctæ Crucis . Et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat , sed iaceat ferrum super carbones vsque ad ultimam collectam : postea mittatur super staplas , & non sit illic alia locutio quam vt precentur sedulo Deum Patrem omnipotentem , vt veritatem suam in eo manifestare dignetur : & bibat accusatus aquam benedictam , & inde conspergatur manus eius qua iudicium portare debet , & sic adeat . Nouem pedes mensurati distinguantur inter ternos . In primo signo secus stacam teneat pedem suum dextrum . In secundo transferat dextrum pedem , in tertium signum , quando ferrum proiicit , & ad sanctum altare festinet , & insigilletur manus eius , & inquiratur die tertia si munda vel immunda sit intra sigillationem , & qui leges istas fregerit , sit ordalium , id est iudicium vel examen , fractum in eo , & reddat regi centum viginti solidos Vvitæ .

IX.

Qui aliquid emit , emat cum testibus : & si appellandum inde sit , recipiat hoc venditor suus a quo emit , sit liber , sit seruus , sit quod sit : & non fiat aliqua negotiatio , vel forensis actio die dominica . Si quis hoc præsumat , perdat ipsum capitale , & emendet overhirnessam meam .

X.

Qui falsum iuramentum iurabit , & conuictus inde fuerit , nunquam postea iuramento dignus sit , nec in sanctificato atrio aliquo iaceat , si moriatur , si non habeat epi-